# D. O. M.

# QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA

*QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-quartâ mensis Martii, anno Domini* M. DCC. XLVIII.

M. SILVESTRO - ANTONIO LE MOINE, Doctore Medico, Præside.

*An Arteriotomia aliquandò instituenda.*

I.



UÆ principium Arti salutiferæ dedit & incrementum, eadem sanguinis missioni præbuit originem, naturæ contemplatio. Quotiescumque enim magno molimine tentantem hæmorrhagias naturam suspicerent Medici, tot ipsam symptomatibus intricatam videbant, ut operæ se pretium facturos crederent, si laboris partem sibi susciperent & bajulanti onus naturæ, detraheretur. Firmavit successus audaciam. Securiùs enim & jucundiùs ars elicit sanguinem quàm si naturæ permittatur opus, fælici quidem laudandum exitu, si nares vel uterus cedant faciliùs, at miserabili conditione, si vel debiliora pulmonis vasa confringens, mixtum spumis cruorem ore profuderit, vel cerebrum undequâque tabo inficiens, ipsam in arce suâ animam oppresserit. Intereà misso per artem sanguine, tot molesta rescinduntur symptomata, quæ vacuationem molientis naturæ, comitantur conamina. Hinc jure carpit Galenus Erasistratum, cui cùm naturæ nomen in ore semper versaretur, in eâ tamen contemplandâ adeò cæcutiebat, ut ipsam cæptis ingentibus, nunc Hæmoptysim, nunc Apoplexiam minitantem, sanguinis missionem quasi flagitare non intelligeret. Nec meliori jure Plinius nobis obtrudit magistrum in arte medendi Hippopotamum, qui sanguinis missionem eos tantùm edocuit Medicos, quibus incerto volubilique correpta lapsu fortuna, pro ratione est atque consilio.

Porrò ut in corpore humano duplex est vasorum genus, ità mittendi pariter sanguinis artificium duplex. Vel enim secantur venæ, vel sanguis ab arteriis exsilit. Venæ quidèm sectio, ab ipso artis celebrata exordio, integris hodiè gaudet honoribus. An verò adhibita antiquitùs fuerit arteriæ sectio, nullo satis certo firmari potest argumento, cùm pro venis arteriæ promiscuè apud Hippocratem & Aristotelem habeantur. Non tamen adeò vulgarem fuisse, satis certò concluditur ex eo quòd anatomicorum sui ævi princeps Erasistratus aere, non sanguine turgere intùs arterias crediderat, quæ ad usque Galeni tempora, multorum assensu, viguerat opinio. Nec tamen toto hoc tempore caruit arteriæ sectione praxis Medica, sed ipsam, nec opini, variis instituebant methodis; talis est, alias inter, festucarum ad eliciendum sanguinem intrà nares, memorata Plinio, immissio, renovatum à Zacuto Lusitano Criseos tardioris impatiente artificium, nec nostris inauditum referente Hollerio.

At institutæ primùm, nec dissimulato nomine, arteriarum sectionis gloria ad Galenum, judice Cl. Freind, referatur. Hic enim insomnio sese ferens admonitum, sibi ipsi refecuit arteriam, & præsenti accepto levamine audacior, lætos hujusce artis exitus, in aliis tùm casu, tùm arte, comprobatos memoravit.

Arteriotomen ab eo acceptam non segniùs laudavere Græci recentiores, imò varias hanc exequendi methodos, posteris reliquere Paulus & Aetius. Nec de illâ siluere Arabes, at ipsius laudem, amplificavit Avicennas, & à Græcis mutuatam descriptionem, scriptis mandavit Halyabbas.

Intereâ licet per incondita ſcientiis & Medicinâ ſæcula, ex memoriâ hominum penè deleta fuiſſe videatur Arteriotome, revixiſſe tamen cum Galeni ſtudio, & à Medicis priùs propoſitam, quàm Chirurgis exercitam, veriſimile eſt. Laudat enim ipſam Hollerius, exoptantque ſummoperè ut dentur artifices qui ipſam Galeni exemplo, audeant inſtituere Beccus, & Heurnius. At hujus inſtitutæ vix quiſquam ante Paræum exempla protulit, qui Galeni æmulatus audaciam, eam in ſeipſo primùm & dein in aliis fœliciter exercuit.

Nec tamen ſub omni cœlo Arteriotomes memoria eviluerat, ſed ab Arabibus acceptam, quotidiano uſu comprobaverant Ægyptii, & eam Medicis onuſtus orientis ſpoliis Proſper Alpinus noſtras tentaverat in oras invehere.

Verùm quantacumque ſit clariſſimorum virorum authoritas, hodiè antiquis ferè merſa tenebris obruitur, venæque ſectioni poſt habita relinquitur; jurene an injuriâ? Id ex ipſâ rerum mechanicâ conſideratione eluceſcet.

## I I.

QUANTUM differant inter ſe mechanicæ mutationes quæ vel ſectam Arteriam, vel venæ pertuſionem debent excipere ſatis perſpectum habebimus, ſi & pauliſpèr attentos detineant diverſa laticis per utrumque vaſorum genus erumpentis phænomena, & hujus diverſitatis cauſas altiori ſcrutemur indagine.

Phænomena enim ſanguinis in utroque vaſorum ſyſtemate ſummè diverſa ſunt; ſcilicet ab arteriis coccineo floridus colore, vix concreſcere docilis plurimâque remixtus lymphâ inſpicientibus apparet; venoſum contrà colore deformem obſcuriori, facilè coagulum concipere, lymphâ ſcatere videas pauciori; hinc Arterioſum ſanguinem ſpiritibus & calore innato divitem ſibi finxere veteres, adeòque ipſi credidere parcendum; hinc & Botallus puriorem ab Arteriis ferri, impurum verò ac morbificum per venas fluere pronuntiat. Prætereâ qui ſolutis ſubſultim ab arteriis exſilit cruor altè emicat & ingentem ejaculatur arcum ſummi impetus indicium; at quem à venis profundi videmus placidior ſemper effluit, nec umquàm venoſo ſanguini contigit arterioſi prorumpentis impulſum æmulari; imò in experimentis quibus Cl. Hales vim ſanguinis truſilem metiri aggreditur, qui ad ſeptem uſque pedes ſeſe ferebat arterioſus, vix ad pedem in correſpondentibus venis, aſſurgebat.

At undè tanta pendeat phænomenorum diverſitas ſatis ipſa rerum mechanica conſideratio patefaciet.

Arterioſo enim ſanguini tantùm ferè virium relinquitur quantùm à corde acceperat. Id ipſi ſolùm deficit, quòd à corde ad locum aperturæ per reſiſtentias abſumi potuit; venoſo verò quantùm obſtaculorum per multiplicatos arte dedalæâ capillarium minimorum anfractus, ſuperandum fuit; tantùm etiam de viribus à corde impreſſis abſumendum. Hinc quaſi laſſus ab itinere difficili per venas tardior incedit. At quot venoſus ſanguis ſuperavit repagula, totidem arterioſo incumbunt ſuperanda. Illa verò, quâ vi reſiſtunt impulſui ſanguinis, ipſum repellere cenſenda ſunt, ſive ut aiunt, in ipſum reagunt, renixu quidem, quem ipſi actioni penè æqualem dixeris. Hinc ſi vis cordis à tergò quàm minimùm fatiſcat, vincit vis obſtaculorum adverſa, ſanguinemque cogit retrocedere, ut in animi deliquiis pallor continuò ſuccedens apertè demonſtrat. Contrà in venis ſanguine per iter planum ad cor redeunte, reditu per valvulas fulcito, vix ulla habetur reactio; quam magnam certè tibi perperàm fingeres, ubi adeò debilis eſt actio. Patet indè quanta arterioſo ſanguini obtingat in arteriis preſſio, quantus ad parietes dilatandos niſi validâ vi illi renitantur, impetus; cur debilitati cedant in aneuryſma ut in experimento Schreiberiano? Cur demùm validiora ſint Aortæ latera cum nullibi major exerceatur impetus, nullibi major reagat reſiſtentia.

Verùm ex his quid ad comparandam arteriæ & venæ ſectionis efficaciam habeamus, deprehendere pronum eſt: non minorem ſcilicet inter utriuſque effectûs deprehendas varietatem, quàm quæ in phænomenis aderat, & eam quidem ſive

in ipsâ vacuatione, sive in libertate partibus oppressis conciliandâ.

Primò quidem, quoad effectûs utriusque vacuatorios, Bellini sententiæ manum dabimus. Hic scilicet efficaciorem pronuntiat arteriotomiam, & venæ sectionis effectuum quasi compendium. Et certè dùm tanta est sanguinis erumpentis velocitas, pari passu debet emissi copiâ adaugeri. Hinc vasa citiùs collabascere, hinc omnes missi sanguinis effectûs celeriores animadverti, hinc rectè, ut solet, Harvæus ait arteriam etiam minimam vix per sesquihoram posse subsultìm sanguinem ejicere, sine animi deliquio; cùm contrà in plures horas ejusdem nominis vena, eundem potuisset profundere priùs quàm æger animo linqueretur. Prætereâ æqualior arteriâ sectâ humorum quantitas funditur, & majori vacuatur copiâ, suis nondùm credita vasis, moles lymphatica malorum sæpè causa.

Secundò verò effectus qui à mutatâ sanguinis intrà vasa fluentis proportione pendent, diversos deprehendes, sive in eâ canalis parte quæ cor inter & aperturam extenditur, sive in vasis collateralibus, sive demùm in eâ vasis portione, quæ rursùs ab aperturâ ad dextrum cordis ventriculum, reducem vehit sanguinem.

In illâ enim quæ cor inter & aperturæ locum interjicitur vâsis parte, dùm nova presso ac renitenti sanguini via panditur resistentia secundùm axim, & renixus in parietes tollitur; libertas ergò in hac vasis parte increscit, quæ in partibus proximis major, semper ab apertâ parte ad cor usque, novis aggestis resistentiis imminuitur. Hinc datur intelligere quàm parca ad arteriosos usque tractus pertingere queat, apertâ venâ libertas, cùm resistentias, columnæque sanguineæ longitudinem adaugeat in mille meandros complicata capillarium fabrica, attritus adeò per multiplicatas increscens superficies, & angulorum, motum minuens, obliquitas. Hinc contrà apertâ arteriâ subitò deficit pulsus in trunco & sublatâ sanguinis in parietes actione nil jam nisi fremitus, observante Halesio, deprehenditur, hinc & citum, Harvæo notante, animi deliquium, quod multò tardiùs venis, nec nisi notabilioribus pertusis superinduci videmus.

Collateralium vasorum eâdem est ac ipsiùs trunci ratio. Mutuum est scilicet truncum inter & ramos resistentiæ atque libertatis commercium, facilis est ab his in illum itus & reditus. Quo igitur commercii jure, positâ in vase aliquo resistentiâ refluit in proximiora vasa fluidum, ut patet ad oculum in inflammatione, eodem pariter commoda resarcitæ libertatis, prima sentiunt, quæ in viciniâ propinquiori sunt canalia. Dudùm id demonstravere & criticæ narium hæmorrhagiæ caput, aures, oculos efficaciter sublevantes, & scarificationum hirudinumque in proximis partibus efficacia, id demùm deprehendit Harvæus qui unâ carotide concisâ, pulsum alteriùs fatiscere deprehendebat.

Huc usque solâ distat efficaciâ, à phlebotomiâ, arteriæ sectio. At in eâ vasis parte quæ ab aperturâ usque ad cor pertingit, immutatur observata proportio; quòd ità contingere debere satis declarat spatii percurrendi diversitas. Venoso sanguini se facilis alveus offert, breve spatium, columna sanguinis brevis & valvulis subnixa; hinc vix ulla sanguini reactio, quàm etiàm ligaturâ artificialem facere necesse est si quandò sanguinem uberiùs à venis fundi volumus. At in arteriosum quot obstacula reagunt, tot si minuatur premens à tergo columna, ipsum in truncos subitâ vi repellunt, reactione victrice, fit efficax retropulsio, qualem sæpè ab arteriis, numquam â venis affectat natura, nisi cùm venosæ indolis oblitæ, capillarium rursùs subeunt resistentiam; ut in atro hæmorroidum sanguine salubriter excreto.

At numquàm efficax arteriarum sanguinem repellentium renixus salutariùs apparebit quàm si flammeis oculis, phrenitico delirio, genis roseis, pulsu ægrotantis resultante, hæmorrhagiam prædixeris, quâ peractâ, sedatum incendium, omniaque evanuisse symptomata, nitentes oculos, collapsamque faciem, & pro rubore pallorem, mirabundus inspexeris.

## I I I.

CUM tantam mechanica inter utrumque præſidium demonſtret effectuum diverſitatem, varios etiam ab utroque, in arte curandi ſucceſſus expectandos, ſola nobis ratio comprobat. An igitur palmam in medendo venæ ſectioni præripiat aliquandò arteriotome ſeduliùs inquirenti, diverſas quæ mitti ſanguinem poſtulant recenſuiſſe conditiones operæ pretium erit.

Triplicem verò præcipuè ſcopum intendimus, quoties detrahi ſuadet ſanguinem indicatio. Vel enim ſanguis undequâque exuberans nimiâ mole partes opprimit, vel nimio correptus impetu, ſui rarefactione voluminis plethoram æmulatur, vel demùm in partem aliquam decumbit, ipſique hærens & affixus, eam ſingulari exercet Tyrannide propriiſque vexat ſymptomatibus.

Porrò ſi moles ſanguinis exundans de ejuſdem velocitate detrahat, aderit omni vaſculoſo generi communis plethora, quæ per varios ita ſeſe dividet canales, ut illos magis impleat qui minorem laterum renixum obtinent, minoremque patiuntur cordis impetum. Homines ità laborare rectè dixeris, quos venis inflatos, tardè & viriùm obrutos copiâ videas incedere. His vires importunas quantocyùs ſolvi, præcipit, Hippocrates. His ipſa venarum inflatio detrahendum è venâ ſanguinem vel ipſummet edocuerit Eraſiſtratum, fruſtrà aggeſto intrà venas ſanguine prætuleris Arteriotomen. » Venæ ſectio, inquit Galenus, commune eſt auxilium earum quæ à plethorâ fiunt diſpoſitionum. «

Si verò ſanguinis motus intenſior ſuos rumpi carceres poſtulaverit, venæ ſectioni quidem ſuus non detrahatur honos; ipſa, dùm molem ſanguinis imminuit, & ſtimulum ſubducit cordi & tenſionem arteriis. At omnes adauctæ circulationis effectus uno ictu reſcindere propoſitum ſi fuerit, venæ ſectionis efficaciam evincet Arteriotome.

Etenim per Arteriotomen omne reſiſtentiarum genus & efficaciùs & certiùs tollitur. Hinc cordis pariter in obſtacula impetum imminui, & imminui ſimul oriundos ab illo renixu effectus, ſanguinis preſſio, ingens partium ejus & inter ſe & ad parietes attritus, æſtus denique & incendium. Senſerat id quanquam in caloris Theoriâ minùs perſpicax Cl. Bellini dùm multò notabilius arteriæ ſectæ refrigerium ſuperinduci pronuntiat; adde, quòd dùm in maximo ſui motûs impetu ſanguis vacuatur, attritui materia priùs aufertur, quàm ſuperatis, vaſorum ubi major ſit attritus, capillarium anguſtiis, incanduerit. In acutiſſimis ergò febribus Arteriotomen indicari certum demonſtratumque habeamus memores illius Galenici moniti, » quæ vacuatio & plurimùm & celerrimè vacuat ea in acutiſſimis morbis tentanda eſt. « Quòd quidem ipſi adeò altè inſederat, ut nondùm ſatis audacter inſtitutâ arteriæ ſectione, venæ ſectionem tamen eam faceret quæ proximè ad Arteriotomes accederet efficaciam. Scilicet dùm miſſo ad animi deliquium ex inſtituto Hippocratico, ſanguine, ob ingentem effuſi cruoris copiam cordis actio fatiſcit, vaſa hærentem repellunt nativo elatere ſanguinem, hinc æſtum, erethiſmum, rarefacti ſanguinis turgeſcentiam, excipiunt frigus, laxitas, minimorum canalium depletio. Hinc nullum alium mittendi ſanguinis finem haberi Galenus voluit, præter pulsùs alterationem, vel pallorem. At ſi ſanguis in aliquam partem decumbat, ejuſque diſtendat vaſcula, difficilem vel impeditum per axim ejus progreſſum ſatis arguit. Hinc quâ lege proximiora cumulato ſanguine turgebant canalia, eâdem etiàm quò propiùs aperturæ inſidebunt, libertatem reſtitutam, & promptiùs ſentient & efficaciùs. Exindè porrò ingens deducitur apertæ arteriæ utilitas, quâ ſcilicet ſit illa directa κατ' ἴξιν antiquorum revulſio, mechanicis Hydraulices legibus, ratione naturali, obſervatione, & demùm naturæ agentis contemplatione comprobata ac demonſtrata; quâ nulla, teſte Cl. Freind, aut certior aut efficacior. Sed ſi ab infarciente vaſa materiâ malum pendeat, non id ſolum eſt aut maximum arteriæ ſectionis commodum; ſed, ut aufertur qui obſtruentem à tergò moleculam in anguſtiora cogebat, cordis impetus, ſic novo vaſorum nixu repellitur illa, ſitque hærentis moleculæ non illi abſimilis retropulſio quam vidit olim in veſpertilionis alâ Lewen-

hoeckius cùm redeunte vaſorum tono in liberiora ſpatia repellerentur concretæ ad minora vaſa ſanguinis moleculæ. Et hanc quidem retropulſionem aliquatenùs æmulari ſectâ venâ dabitur ſi, miſſo ad animi deliquium ſanguine, vaſorum minimorum elaterem, inſtituto Boerrhaaviano, frictione per totum venæ ſectionis tempus, ad actionem ſollicitaveris.

Principiis hiſce firmata ac ſtabilita Arteriotome jam certè jactatiſſima inter Medicinæ præſidia ſibi locum vindicabit; etenim ipſam & utili venæ ſectione utiliorem, & ipsâ ſæpè vix utili quin imò quandoque perniciosâ utilem atque ſalutiferam deprehendes.

Etenim venæ ſectione ipſam utiliorem quotieſcumque ſanguinis intenſior eſt circuitus, vel pars oppreſſa gemit ſanguinis pondere, cùm & vacuet potentiùs, & revellat efficaciùs, abundè demonſtratum confidimus. Sed dantur etiam mala quibus ſe vix utilem præbet venæ ſectio, & ſuum ſervat adhuc uſum arteriæ ſectio. Ecquid enim à venæ ſectione ſperaveris ſi ſedeat in ultimis tenuiſſimorum vaſorum anguſtiis jus civitatis quaſi adepta obſtructio? Nulla inde apertis venis niſi ſummo virium diſpendio vacuatio, nulla ſperari poteſt retropulſio, dùm proximâ tenuique apertâ arteriâ utraque ſequeretur in parte nec mutato reliquo corpore. Hinc ipſas conjunctivæ arteriolas pungere ſæpè ſaluti fuit. Hinc & in pertinacioribus ophtalmiis crudelior antiquiſſimorum praxis fuit, longis inciſionibus partes incidere vicinas, inſtitutâ ſic à nec opinis arteriæ ſectione. Sed ſi extrà communem venis arteriiſque rubris circuitum, in vaſe lymphatico hæreat obſtructio, ut in calido Boerrhaviano œdemate, mali cauſam non attinget venæ ſectio utut levandis ſæpè idonea ſymptomatibus. Hinc lymphæ tot adhibent revulſoria quorum effectus æmulatur arteriæ ſectio: ſimul enim cum ſanguine proſilit uberior lympha minorique copiâ ad ſua diverſoria appellens, partes obſtructas minùs opprimit; unde illis reagendi poteſtas redibit, ut aliis lymphæ revellentibus adhibitis contingere ſolet. Sed inde magis glorietur Arteriotome quòd noxiâ etiam venæ ſectione, non ſemper repudianda ſit. Aliquandò ſcilicet per ſummam morbi violentiam, ità arctantur erethiſmo ſolida, liquida verò ità inflammatoriâ denſitate compinguntur, ut per minimos arteriarum tractus ſanguini tranſitus denegetur, pars tantùm ſubtiliſſima per collapſas delata venas vitæ relliquias alit, quam ſi ſectâ venâ detraxeris, quod vitæ ſupererat ſimul auferetur. Contrà verò, ſi quòd craſſius eſt & denſius per Arteriotomen eduxeris, toti ſanguineæ compagi laxitas induci, diſtractis ſua reddi vaſis actio, hinc novus vitæ vigor afflari, & è deſperationis medio ſpes ſanationis proxima, affulgere.

## I V.

QUANTUMCUNQUE firma per ſe ratio nullis indigeat adminiculis, gaudet tamen hominum aſſenſu, & indè validior ſolet incedere. Ut ergò arteriæ ſectionis laudes quaſi ſanciat authoritas, vix ulla datur ejus inſtituendæ indicatio, quam non aliquandò portentoſo ſucceſſu adimpleverit, æquè in acutiſſimorum malorum vehementiâ, atque chronicorum pertinaciâ celebrata. In acutis enim dùm ſymptomata ingentia, dolorque pulſatilis & ingentem vaſorum diſtractionem, & vires arteriarum repellentes integras indicat, maturè adhibita arteriæ ſectio, & dolorem, & doloris cauſam ſimul abripit, & placidâ quiete componit omnia. Hinc iis primùm ſuaſit arteriæ ſectionem Galenus affectibus, qui â tenui, ſpirituoſo, calidoque ſanguine, ducerent exordium; talem enim vehi per arterias crediderat. Inter illos porrò primariam recenſet, quæ latera coſtaſque elatiori præſertim ſede obſidet, & vehementi morſu fodicat pleuritidem, quam etiam inſtantaneâ efficaciâ per inſtitutam arteriæ ſectionem evanuiſſe memorat. At cauſarum analogia, facilis alterius in alteram ex Hippocratis & Sydenhami obſervatione, mutatio; imò & Recentiorum obſervata nonnulla docere videntur, quantum præſidii à ſectâ arteriâ ſperandum ſit in horrendo & ſymptomatibus immanibus effero malo phrenitide, quam ideò in eâ ſecari ſummoperè

ſuadet Ballonius. Nec minori ratione ſummos ab illâ ſpondet ſucceſſus nuperrimus author cl. Nihell, in illis præſertim hujuſce mali ſpeciebus, in quibus pulſare deprehenduntur Carotides, & eò quidem rectiùs quòd in illâ phrenitidis ſpecie ſanguinis in Carotidum parietes impetus, ſummam per minutiſſima capillaria tranſituro reſiſtentiam demonſtret, & medelam efflagitet quàm præſentiſſimam. Inani certè metu arteriæ ſectionem in phrenitide repudiabat Antiquitas, cùm nulla alia methodus in curandâ phrenitide, magis ſit naturæ familiaris, quàm ſanguinis è naribus eruptio, imò vix ullam à naribus meditetur hæmorrhagiam, cui non phrenitica aliqua illuxerint ſymptomata.

At aliud acutorum genus non tam ſæpè cauſis, quàm ſymptomatibus adverſum, quo ſimul & infarciuntur vaſa & vis eorum contractilis ac repellens opprimitur Apoplexia, dùm ſimul & hærenti ſanguini effugium parabatur, & vaſis tonus reſarciebatur, viſa certiùs arteriæ ſectioni cedere; cujus non ſemel expertus efficaciæ memoriam Anglus Cathervood poſteritati conſecravit.

In chronicis verò affectibus, ut ut non adeò latum obtineat imperium arteriæ ſectio, revellendis tamen obſtructionibus mirè prædicata fuit, modò non concurrat vaſorum laxitas, ſed intùs hærentis moleculæ actio diſtrahat adhuc parietes, doloremque conciliet.

Hûc porrò non una morborum ſpecies pertinet; ſed alia vivaci dolore importuna perpetuò fatigat, alia verò patitur inducias & ad externarum cauſarum inſultus recrudeſcens nunc ſævit crudeliùs, nunc verò ſopita conquieſcit.

Ad priorem ſpeciem ſingulariùs referuntur tot chronicarum & rebellium inflammationum genera, quæ ſivè à partis affectæ conditione, ſivè ab obſtruentis materiæ caractere, ſivè à vaſorum genere rebelles communibus medicinæ auxiliis obſecundare recuſant. Tales ſæpè ars ingemuit ophthalmias in quibus minutiſſima vaſa ſanguine gravata, vix per venæ ſectionem exhauriri, aut materiam infarcientem repellere queunt. Peſſimi tamen generis in aere Ægypti fervido, quam facilè ſectioni arteriæ cedant, unus teſtetur Proſper Alpinus, qui ipſas hoc artificio *præſtigii more*, ut ait, ſanatas mirabatur. At longo protracta tempore, & jus dominii, quaſi adepta cephalæarum incommoda, non majori operâ eodem admirante curabantur; ſed apud nos etiam pertuſis multoties venis, nec remittentem tamen capitis ſine febre dolorem ſubito ſucceſſu ſuſtulit Yvoni Chirurgo inſtitutâ arteriæ ſectione Ballonius. Decennales pariter eluſis omnibus remediis, tandem victrix Arteriotomia edomabat, teſtante Aurelio Severino, quam quidem efficaciam arteriæ ſectioni peculiarem ne pronunciemus parùm morabitur Botalli authoritas, qui ne decennalem quidem vidiſſe ſe refert cephalæam quæ venæ ſectioni cedere recuſarit. Hûc & varia referuntur exempla, à Galeno de Arteriotomes ſucceſſu prolata, & diuturni dolores hepatis, quos ipſi ſibi reſectâ, quæ pollicem inter & digitos excurrit arteriâ perſanavit, & graviſſimus ad iſchia decumbens cruciatus quem in alio ſanatum memorat, innumeraque alia quæ paſſim in Authorum monumentis conſecrantur.

At illis qui nunc quidem ceſſant, nunc verò recrudeſcunt dolorum generibus comprobatæ pariter eſt efficaciæ arteriæ ſectio. Hæc ipſi propria quaſi laus eſt, ut hemicraniarum genus peſſimum, dolore vix tolerandum, pertinaciâ verò acerbiorem, ità funditùs auferat, ut & ipſa mali diſpereat memoria. Hinc non apud Ægyptios ſolùm in hunc finem adhibita legitur, ſed & ab hujus mali curatione apud nos, primam ſibi famam conciliavit, dùm Geſnero Paræoque pertinacem ſimul cum acerbo ſymptomate cauſam auferebat, non minoris in aliis multis hominibus efficaciæ, & alios inter in clariſſimo Principe Rupeſurienſi, ut gratus teſtatur Paræus. Hinc forsàn erit ut quondam non minori ipſam laude proſequamur, in pertinaciſſimis iſchiadicis rheumaticiſque doloribus quos jam hujus ope ſanatos fides ſit penès Antyllum apud Oribazium, forsàn & deviæ ingens afferet arthritidi ſolatium, cùm præſertim illis in malis inſideat lymphatico vaſi cauſa ſympto-

matum. Ex his porrò quid valeat arteriæ ſectio ſatis patet, nec longiùs immorabimur in recenſendis tot malorum ſpeciebus, quæ ad eaſdem claſſes referuntur, vertigine ſcilicet, epiphorâ, hæmorroïdum doloribus, quorum ab Arteriotome ſanatorum ampliſſimis firmata teſtimoniis exempla congeſſit cl. M. Aurelius Severinus de efficaci Medicinâ, lib. 2.

At quæ circà Maniam Epilepſiamque humanis ferè auxiliis impervia mala idem author fælicia inſtitutæ Arteriotomes experimenta tentaverit, adeò levi pede prætermittere non ſinit rei dignitas, & inſtituti ratio.

Maniam enim arteriæ ſectione non ſemel & coram aptis judicibus inſtantaneâ perſanavit efficaciâ, methodo quidem nec Græcis nec Arabibus ignotâ, ſed quam deſuetudo ex hominum memoriâ aboleverat.

Epilepſiæ verò, cujus unam ſaltem ſpeciem hâc methodo referente Alpino tollunt Ægyptii, ità per Arteriotomen conſuluit, ut ægris quidem omnibus ſolamen admirandum attulerit, uni verò etiam integram curationem. Sed ut tantis authoritatibus cumulum addat naturæ authoritas, nonnè notum illud eſt quas illa meditabatur ab arteriis hæmorrhagias vel venæ ſectione non præpediri, ut de hæmorrhagiâ anginam judicante refert Swietenius, vel magno ægri malo præpediri.? Quid plura? Cùm demùm Vir ſummæ authoritatis Pr. Alpinus nunquam ſine ſucceſſu ſectam viderit arteriam, ut jure meritòque videatur nuperrimus author cl. Nihell de arteriæ ſectione pronuntiare, plus ab illâ quàm ab alio quovis remedio honoris, atque laudis, in Medicinam redundaſſe.

V.

FRUSTRA tantis ſuperbiet effectibus arteriæ ſectio, ſi dùm præſenti ægros eripit periculo, malis mergit altioribus. Deſuetam multi indè aiunt Arteriotomen, quòd tutò non potuerit inſtitui. Reverà quidem vicinior cordis impetus, obnitentiumque reſiſtentiarum renixus, majorem ſanguinis in parietes actionem efficiunt; undè duplex malorum labes exurgit. Naſcitur hinc ſcilicet compeſci indocilis hæmorrhagia quæ vitam cum ſanguine profundat, niſi ſuperveniat ars efficacior; aut ſi tandem cicatrix inducta fuerit, cedet illa ſanguini impellenti debilior, ſenſimque in ſaccum expanditur, aneuryſma dicunt.

Verùm majores arterias nefas ſit attingere; minores tantùm ſuademus pertundendas. In iis porrò cordis impetus deferveſcit, hinc imminuitur hæmorrhagiæ, minuitur aneuryſmatis periculum, quas minori ſanandas operâ indè deduxeris, quòd notabiliores etiàm legitimâ compreſſione, debitâque vacuatione prægreſsâ, omninò, inſcio etiàm ægrotante, ad integram perductæ fuerint ſanationem.

Præterea non una eſt ratio quâ poſſit via ſanguini per apertas concedi arterias. Vel enim more venarum ſummâ punguntur lanceolâ, vel tranſversìm reſectæ, pleno ſanguinem fundunt alveo. Si porrò pungantur arteriæ, diſciſſæ diſtrahuntur hinc indè fibræ, tùm quæ in longitudinem porriguntur, tùm quæ diametrum circulariter ambiunt, & in omnem ſenſum ad ſua contractæ principia, aperturam ampliant. Hinc via ſanguini liberior panditur, hinc inducendæ cicatrici, mora creſcit & difficultas. Non ergò fluendi priùs ſanguis finem faciet, quàm vel defuerint vires, vel ars compreſſione ſanguinis impetum repreſſerit. Sic per temporalem arteriam ad ſex uſque libras ſanguinem Paræus eduxit. Creſcente ergò in hâc methodo, poſt inflictum vulnus aperturâ, creſcit periculum, requiritur operoſum faſciationis artificium quo inter fixa duo puncta prematur, & quaſi obliteretur arteriæ cavitas. Nec tamen intactam adhuc ab objectionibus vindicabis operationem, licet & non aliâ uſus methodo Paræus omnia tuta timentium trepidationem poſthabuerit, & ſe pluſquàm duodecies arteriam temporalem tutò pertudiſſe referat Meerkrenius.

At ſi totam tranſversìm in parte molli ſecueris audacior arteriam, conſtringentur ſublatâ in axim reſiſtentiâ, victrice vi elaſticâ circulares ejus fibræ, diameter ejus arctabitur, undè brevì deferveſcet ſanguinis exeuntis impetus. At longi-

tudinales intereà fibræ, nihilò ſeciùs hinc & indè diſciſſæ retrahuntur & ſub vicinis partibus deliteſcunt. Ibi verò ambientium elatere partium, propriâ contractione, minorumque parietes conſtituentium vaſorum ob imminutas intùs reſiſtentias ampliatione, occluduntur utraque diſciſſæ arteriæ extrema, ſpontè ceſſat hæmorrhagia nullo excipienda periculo.

Hæc vera eſt & legitima arteriarum aperiendarum methodus, quam nulla elevare queat objectio, nullus timor labefactare; nec aliam voluit Galenus inſtitui, ſed pertuſarum arteriarum incommoda objicientibus, tranſversìm ſecandas indicebat arterias. Hanc omnes experti præferent Chirurgi, & nedùm nimiâ proſilientis copiâ ſanguinis, noxæ prævertendæ tibi ſe objiciant, quam parca ſæpè poſſit educi ejuſdem quantitas miraberis. Nec ſpem ſibi indè tantam pollicerentur, quî non ſatis attendunt, minùs intereſſe quanta ſit ſanguinis effuſi copia, quàm qualis & undè exiverit. Adde quòd nullis ſit vexandus æger faſciis quæ in parte quam ſectâ volumus arteriâ liberam, reſiſtentias tantùm adaugeant, ſolis glutinantibus ſanari facilè vulnus relinquitur.

Nec adeò damnoſa naturæ cenſenda eſt rami unius arterioſi jactura. Novos ſibi calles ſolers cudere, vicinos ſenſim ampliabit ramos, ut ne ullum quidem deperditi remaneat veſtigium. Quam ſeſe reparandi efficaciam fruſtrà malè incredulus naturæ negaveris, cùm reparentur in magnis ulceribus, ſolâ vaſorum dilatatione tot arteriarum millia; cùm demùm exemplo non adeòinſolito, ligatâ cubitali arteriâ mirum in modum radialem expandi deprehendant Chirurgi: nihil ergò à ſecandis arteriis deterreat, in parte quidem molli, ſæpè enim in oſſium cavis deliteſcentes arteriolæ lethale ſanguinis effecerunt effluvium, dùm nec ab ambientium elatere comprimi, nec oſſis duri parietibus appreſſæ in ſuam poſſent contrahi diametrum. His ergò freti obſervationibus ad incidendas arterias tutò accingemur, cujus quidem operationis, non minorem demonſtraſſe utilitatem, quàm ſecuritatem arguiſſe, confidimus.

*Ergò Arteriotomia aliquandò inſtituenda.*

## DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

*M. Julianus Buſſon.*
*M. Petrus Berther, Scholarum Profeſſor.*
*M. Urbanus de Vandeneſſe.*

*M. Theodorus Baron.*
*M. Andræas Cantwel, Regiæ Societatis Londinenſis Socius.*
*M. Benjamin-Ludovicus Lucas de Laurembert.*

*M. Ludovic. Hieronymus Coſnier.*
*M. Ludovicus-Joannes leThieullier, Regis Conſiliarius in Majori Conſilio & in magnâ Regiæ Domûs & Franciæ Præfecturâ Medicus ordinarius, necnon Imperialis Naturæ Curioſorum Academiæ Socius.*
*M. Nicolaus le Roy de Saint Aignan.*

Proponebat Pariſiis ANNA-CAROLUS LORRY, Pariſienſis, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus,
A. R. S. H. 1748, à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1748.